



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

FRANCISCO XAVERIO S.R.E. CARDINALI ERRÁZURIZ OSSA

Venerabili Fratri Nostro

FRANCISCO XAVERIO S.R.E. Cardinali ERRÁZURIZ OSSA

Archiepiscopo emerito Sancti Iacobi in Chile

"Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis" (s. Augustinus, *In Io. tract.* 26, 13), his sonantibus gravibusque verbis divi Augustini, patris et doctoris Ecclesiae, penitus intellegimus quid mysterium eucharisticum, proprie ac mirabiliter efficiat.

Nos autem ardenter cupimus cunctos Christifideles participantes Sacrificium eucharisticum, totius vitae christianae fontem et culmen (cfr. *Lumen Gentium* 2, 1), uberrimis Spiritus donis ditari ad cotidie aedificandam Dei Ecclesiam. Iucunde igitur comperimus a die IX ad diem XIII mensis Septembris in urbe Monterreyensi Congressum Eucharisticum Nationalem iri actum, ut plebs christiana magis magisque caelesti dape sustentata maturam spiritalem vitam plenius adipiscatur necnon pro pace et vitae christianae incremento populi Mexicani enixe roget.

Occasione data huiusmodi eventus magni momenti, Venerabilis Frater Rogerus Cabrera López, Archiepiscopus Metropolitae Monterreyensis, palam indicans communionem cum Apostolica Sede, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum destinarernus, qui, sensuum Nostrorum interpret constitutus et publicus orator, nomine Nostro huic Congressui praesideret.

Itaque ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus et animum, qui olim pro Christi grege tibi concredito studiosus Pastor, nunc idoneus occurras ad officium hoc congruenter complendum.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus *Missum Extraordinarium Nostrum* et, mandatis Tibi factis, destinamus ad memoratum VI Congressum Eucharisticum Nationalem Mexicanum a die IX ad diem XIII mensis Septembris fauste eventurum, ubi pro Nobis loqueris et hortaberis fideles ibi congregatos ad pastorale Successoris Petri sensum, ut plures spiritales fructus ex augusti Mysterii Eucharistici cultu pro se et pro multis consequantur.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, memoratae insignis sedis sacrorum Antistitem, ceteros Praesules, fideles publicasque auctoritates, qui urbem Monterreyensem ad Congressum advenient salutamus, precibus Nostris eos comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus, ut omnes participes huius celebrationis, materno praesidio Beatissimae Mariae Virginis Guadalupensis suffulti, particulares suas Ecclesias aedificare, fidem catholicam tueri bonumque comune fovere valeant.

Omnibus Nostro nomine Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum nuntia, petentes vicissim auxilium precationum pro officio Nostro Petrino recte exercendo.

Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Augusti, anno MMXV, in Sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS